



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Argvmenta Hvivs Capitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

enim sanctæ Marthæ fideliter implere negotium satagit, beatissimæ Mariæ dignus habebitur aliquando dulcedine foueri, & consolationis diuinæ & allocutionis silentio immorari. Quo ille rectè censetur aptus, cui iam fraternæ necessitati seruire placet, & Christi tantum dilectio super omnem temporalem curam amabilis, in intentione præcipua est. Non sicut is, cuius foris videtur ministratio; sed ab intus non ardet vera dilectio, & intensionis non lucet pura simplicitas, & simplex puritas. Sua enim commoditate perdit lucrum charitatis, & libitum proprio destituitur à Christi beneplacito. Nam omne quod agitur, si in veritate & puritate non manserit, in interitum vadit & euanescit. Tetigi paululum boni dispensatoris necessarium institutum, qualiter sibiipsi debeat etiam intentus & præsens esse, nec rebus exterioribus varijsque negotijs totaliter inhiare. Quinimo, eligat secundum affectionem suam cordialem, nullis implicari curis, sed insistere (quantum opportunè concessum fuerit) studijs theoreticis. Veruntamen quisquis per diuinam voluntatem tanquam seruus à Domino fuerit aduocatus, ad faciendum opera misericordiæ, impleat mandatum obedientiæ: & ne declinet ad propriam nimis quietem, sed magis offerat se per bonam & promptam voluntatem, ad seruiendum Deo viuenti in secula seculorum. Amen.

Externis
rebus im-
peditus
subinde
redeat ad
se.

CAPVT SECVNDVM.

*De ministerio Martha, et otio Maria, et de concordia
conuenientia ad inuicem.*

ARGVMENTA HVIVS CAPITIS.

DE comparatione Martha ad Mariam, id est, actiua ad contemplati-
ua, & quod utraq; laudabilis, nec altera ab altera separanda. §. I.

De opere Martha.

II.

De opere Maria.

III.

De admonitione Martha.

IV.

De consolatione Martha.

V.

De admonitione Maria.

VI.

De increpatione tepida Maria.

VI.

§. I. De comparatione Martha ad Mariam, id est, actiua ad contemplati-
uam, & quod utraq; laudabilis, nec altera ab altera separanda.

Quamuis eligibilior pars Mariæ sit & suauior, tamen beatæ
Marthæ sororis eiusdem pars laboriosa laudabilis est, & Deo
accepta; sicut per seipsum Dominus ait in Euangelio: *Si quis mihi* Iuan. 12.
ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in caelis. Ministrare
specia-